



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum obiectum fidei proprium sit veritas prima.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

& imperfecti quod nondum attingit. unde non oportet quod numero differant, sicut nec embrio & animal.

Ad VII. Dicendum, quod credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum non nominant diversos actus, sed diversas circumstantias eiusdem actus uirtutis. In fide, non est aliquid ex parte cognitionis, prout fides est argumens, & sic quantum ad hominem argumentationis principium, actus fidei dicitur credere Deo. Ex hoc non mouet ad assentiendum credens alicui, quia est diuinitus dictum. Sed quantum ad conclusionem cui assentit, dicitur credere Deum. Veritas, non prima est proprium obiectum fidei. Sed quantum ad id, quod est uoluntatis dicitur, actus fidei credere in Deum. Non est autem actus uirtutis perfecte, nisi has omnes circumstantias habeat.

Ad VIII. Dicendum, quod fides formata tollitur fornicatione & alijs peccatis mortalibus, excepto peccato infidelitatis, non quantum ad substantiam habitus, sed quantum ad formam tantum.

ARTICVLVS VIII.

Utrum proprium obiectum fidei sit ueritas prima.

¶ q. 2. art. 1.

Octavo quaeritur, utrum obiectum fidei proprium sit ueritas prima. Et videtur quod non. In simbolo, non fides explicatur: sed in simbolo ponuntur multa, quae ad creaturam pertinent, ergo non tantum ueritas prima est obiectum fidei. Sed dicendum, quod ea quae ad creaturas pertinent, in simbolo posita se habent ad fidem, quasi per accidens & secundario. ¶ 2 Sed contra, consideratio alicuius scientiae omnia illa per se extenditur, ad quae extenditur efficacia proprii media quo procedit: sed medium fidei est hoc, quod credit Deo aliquid dicenti, ex hoc enim mouetur fidelis ad assentiendum, quod putat aliquid a Deo esse dictum: Deo autem credendum est non tantum de ueritate prima, sed de qualibet alia ueritate, ergo qualibet ueritas est per se materia & obiectum fidei.

¶ 3 Præ. Actus penes obiecta distinguuntur: sed actus fidei & uisio Dei per essentiam sunt actus diuersi. Cum ergo obiectum uisionis praedictae sit ipsa ueritas prima, non erit obiectum actus fidei.

¶ 4 Præ. Veritas prima sic se habet ad fidem, sicut lumen ad uisum: lumen autem per se non est obiectum uisus, sed magis color in actu, ut philosophus dicit. Ergo nec ueritas prima est obiectum per se fidei.

¶ 2. ad anima c. 6. 7. & seq.

¶ 5 Præ. Fides est complexorum, his, non solum tanquam ueris alijs assentire potest: sed ueritas prima est incomplexa, ergo obiectum fidei non est ueritas prima.

¶ 6 Præ. Si per se obiectum fidei esset ueritas prima, nihil quod pure ad creaturam pertinet, ad fidem pertinet: sed resurrectio carnis pure ad creaturam pertinet, & tamen inter articulos fidei computatur, ergo non est per se tantum obiectum fidei ueritas prima.

¶ 7 Præ. Sicut uisibile est obiectum uisus, ita credibile est obiectum fidei: sed multa alia sunt credibilia, quam ueritas prima, ergo ueritas prima non est per se obiectum fidei.

¶ 8 Præ. Relatiuorum est eadem cognitio propter hoc, quod unum clauditur in intellectu alterius: sed creator, & creatura ita dicuntur, ergo cuiuscumque habitus cognoscitiui est obiectum creator, eiusdem erit obiectum creatura, & ita non potest esse, quod ueritas prima solummodo sit fidei obiectum.

¶ 9 Præ. In qualibet cognitione illud, in quo deducimur, obiectum est: illud autem per quod in ipsum deducimur, medium est: sed in fide deducimur ad assentiendum alicui, inquitur credimus Deum esse ueracem, ergo ueritas prima non se habet, ut cognitionis obiectum,

¶ 10 Præ. Sicut charitas est uirtus theologica, & fides: sed charitas non solum pro obiecto habet Deum, sed etiam proximum. Unde & de dilectione Dei & proximi duo praecepta charitatis dantur, ergo & fides habebit pro obiecto non solum ueritatem primam, sed etiam ueritatem creatam.

¶ 11 Præ. Augustinus dicit quod in patria uidebimus res ipsas, hic autem intuemur rerum imagines: sed uisio fidei ad statum uiae pertinet, ergo uisio fidei est per imagines: sed imagines per quas intellegimus nos ueritas, sunt res creatae, ergo fidei obiectum est ueritas creatae.

¶ 12 Præ. Fides est media inter scientiam & opinionem, patet per definitionem Hugonis de S. Victoris scilicet & opinio est de complexo, ergo & fides, & ita non potest eius obiectum esse ueritas prima, quae simpliciter est.

¶ 13 Præ. Principium fidei uidetur esse reuelatio prophetica per quam nobis diuina annuntiantur: sed prophetiae obiectum non est ueritas prima: sed res creatae quae sub certa differentia temporis cadunt, ergo nec fidei obiectum est ueritas prima.

¶ 14 Præ. Veritas contingens non est ueritas prima, sed aliqua ueritas fidei est ueritas contingens. Cuiusmodi contingens fuit, cum esset dependens a libero arbitrio suo & ludæorum, & tamen de passione Christi est fides, ergo ueritas prima non est proprium fidei obiectum.

¶ 15 Præ. Fides proprie loquendo non est nisi complexio: sed in quibusdam articulis fidei prima ueritas cadit, ut in complexu, ut cum dicimus Deum passum uel mortuum, non ergo tangit ibi ueritas prima, ut fidei obiectum.

¶ 16 Præ. Veritas prima comparatur ad fidem dupliciter, sicut testificans, & ut id de quo est habiles: sed non potest poni ut obiectum fidei, ut est testificans, sicut est extra fidei essentiam, nec iterum ut id, de quo est habiles: quia sic de quocumque entia ueritas prima, essent credibilia, quod patet ex his. Ergo ueritas prima non est proprium fidei obiectum.

SED CONTRA est, quod Dionysius dicit quod diuini nominibus, quod fides est circa simpliciter, & semper eodem modo se habentem ueritatem, & talis non est nisi ueritas prima.

¶ 2 Præ. Virtus theologica idem habet pro fine, & obiecto: sed fidei finis est ueritas prima, cuius apertam uisionem fides meretur, ergo & obiectum eius est ueritas prima.

¶ 3 Præ. Dionysius dicit, quod articulus est per se proprio diuina ueritatis: sed fides in articulis continetur, ergo diuina ueritas est fidei obiectum.

¶ 4 Præ. Sicut se habet charitas ad bonum, ita fides ad uerum: sed charitatis per se obiectum est summum bonum, quia charitas diligit Deum & proximum pro Deum, ergo & obiectum fidei est ueritas prima.

RESPON. Dicendum, quod per se obiectum fidei ueritas prima est. Quod sic accipi potest. Nullus enim habitus rationem habet uirtutis nisi ille, cuius actus ipse est bonus: aliter, non esset perfectio potentiae. Cum igitur actus intellectus sit bonus, & hoc, quod uerum considerat, oportet quod habitus in intellectu existens uirtus esse non possit, nisi sit talis quo infallibiliter uerum dicatur, ratione cuius opinio non est uirtus intellectualis, sed scilicet intellectus, ut dicitur in 6. Ethicorum. hoc autem fides non potest habere, quod uirtus ponitur ex ipsa rerum euidencia, cum sit non apparatus, oportet igitur quod hoc fiat ex hoc, quod adhaeret alicui testimonio, in quo infallibiliter ueritas inuenit. Sicut autem esse creatum quantum est de se, unum est & defectibile, nisi continetur ab ente increato, ita omnia creata ueritas defectibilia sunt, si quantum per ueritatem increatam rectificantur. Unde neque

neq; hominis, neq; angeli testimonio assentire infallibiliter in veritate duceret, nisi quantum in eis loquentis Dei testimonium consideratur. Vnde oportet, quod fides, quæ virtus ponit, faciat intellectum hominis adherere veritati, quæ in diuina cognitione consistit, transcendendo propriis intellectus veritatē. Et sic fidelis per simplicem, & semper eodem modo se habentem veritatem liberatur ab instabilis erroris varietate, ut dicit Dionysius 7. cap. de Diuinis nominibus. Veritas autem diuinæ cognitionis hoc modo se habet, quod primo, & principaliter est ipsius rei creatæ, creaturæ vero quodammodo consequenter, in quantum quod cognoscendo seipsum omnia alia cognoscit. Et ita fides, quæ hominē diuinæ cognitioni coniungit per ascensum, ipsum Deum habet sicut principale obiectum. Alia vero quæcunque, sicut consequenter adiuncta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod omnia illa quæ in simbolo ponunt ad creaturam pertinentia, non sunt materia fidei, nisi secundum quod eis aliquid veritatis primæ adiungitur. Ipsa enim passio non cadit sub fide, nisi in quantum credimus eam diuina virtute fieri.

AD SECUNDVM dicendum, quod quamuis diuino testimonio sit de omnibus credendum: tamen diuinum testimonium sicut, & cognitio primo, & principaliter est de seipso, & consequenter de alijs. Ioannes. Ego testimonium perhibeo &c. Vnde fides est principaliter de Deo, consequenter de alijs.

AD TERTIVM dicendum, quod veritas prima est obiectum visionis proprie, ut in sua specie apparet. fidei autem, ut non apparet. Vnde & si idem res sit virtusque actus obiectum, non tamen est idem ratione, & sic formaliter differens obiectum diuersam speciem actus facit.

AD QUARTVM dicendum, quod lumen quodammodo est obiectum visus, quodammodo non. In quantum n. lux non videtur nostris visibus, nisi per hoc, quod ad aliquod corpus terminatur per reflexionem, vel alio modo coniungitur, dicitur non esse per se visus obiectum, sed magis color, qui semper est in corpore terminato. In quantum autem nihil, nisi per lucem videri potest, lux ipsum visibile esse dicitur, ut idem Philo sophus dicit. & sic veritas prima est primo, & per se fidei obiectum.

AD QUINTVM dicendum, quod res cognita dicitur esse cognitionis obiectum secundum, quod est extra cognoscere in seipso subsistens, quauis de re tali non sit cognitio, nisi per id, quod de ipsa est in cognoscere: sicut color lapidis, qui est visus obiectum, non cognoscit, nisi per speciem eius in oculo. Veritas igitur diuina que simplex est in seipso, est fidei obiectum: sed ea intellectus noster accipit suo modo per viam compositionis, & sic per hoc, quod compositioni facta tanquam veritate assentit, in veritatem primam tendit, ut in obiectum: & sic nihil prohibet veritatem primam esse fidei obiectum, quamuis sit complexorum.

AD SEXTVM dicendum, quod resurrectio carnis, & alia huiusmodi pertinent ad veritatem primam, in quantum diuina virtute sunt.

AD SEPTIMVM dicendum, quod omnia credibilia ex hoc, quod a Deo sunt testificata, oportet principaliter esse de veritate prima, & secundario de rebus creatis, ut ex dictis patet. Alia vero credibilia non sunt homini fidei obiectum, de qua nunc loquimur.

AD OCTAVVM dicendum, quod creator non est obiectum fidei sub ratione creatoris: sed ut est veritas prima. Vnde non oportet, quod fidei per se obiectum sit creatura: non enim quia eadem est cognitio domini, & serui in quantum huiusmodi, per hoc quicumque nouit

**A** aliquid circa dominum, nouit aliquid circa seruū.

AD NONVM dicendum, quod quamuis per veritatem primam deducamur in creaturas, principaliter tamen per eam deducimur in seipsam: quia ipsa principaliter de se testificatur. vnde veritas prima se habet in fide, & ut medium, & ut obiectum.

AD X. Dicendum, quod charitas in proximo non diligit, nisi Deū. vnde ex hoc non sequitur quod charitas obiectum sit aliquid aliud, quam summum bonum.

AD XI. Dicendum, quod imagines per quas fides aliquid intuetur non sunt fidei obiectum: sed id per quod a fides in suum obiectum tendit.

AD XII. Dicendum, quod quis fides sit de complexo quantum ad id, quod in nobis est, tamen quantum ad id, in quo fides dicitur sicut in obiectum, est de simplici veritate.

AD XIII. Dicendum, quod quamuis prophetia pro materia habeat res creatas, & temporales, tamen pro fine habet re increata. Ad hoc enim omnes prophetie reuelationes ordinantur, et illa quæ de rebus creatis fiunt, ut Deus cognoscatur a nobis. Et ideo prophetia inducit ad fidem sicut ad finem, nec oportet, quod sit idem prophetia, & fidei obiectum, uel materia: sed si aliquis sit de eodem fides, & prophetia, non tamen fides, sicut de Passione Christi fuit prophetia antiquorum, & fides, sed prophetia quantum ad id, quod erat in ea temporale, fides autem quantum ad id, quod erat in ea æternum.

AD XIV. Dicendum, quod de passione non est fides, nisi secundum quod coniungit veritati æternæ: prout passio circa Deū considerat. Vnde ipsa passio quis in se considerata sit contingens tamen secundum quod diuine preterite substantia, put est de ea fides, & prophetia immobilis veritatem habet.

AD XV. Dicendum, quod propositionis subiectum, se habet ad totam propositionem, sicut materia. Vnde quis in talibus cum dicimus Deus est passus solummodo noiet subiectum quid increatum, tota tamen propositio dicitur esse de re increata sicut de materia. Et sic non mouet, quod fides habet veritatem primam pro obiecto.

AD XVI. Dicendum, quod pro tanto veritas prima dicitur esse fidei obiectum, quia de ea est fides. nec tamen oportet, quod quolibet enuntiabile de Deo formatum sit credibile: sed illud solum de quo veritas diuina testificatur, sicut et corpus mobile est subiectum naturalis philosophiæ, nec tamen omnia enuntiabilia, quæ de corpore mobili possunt formari sunt sciibilia, sed illa solum, quæ ex principiis naturalis philosophiæ manifestant. Ipsum autem testimonium veritatis primæ, se habet in fide, ut principium in scientijs demonstratiuis.

ARTICVLVS IX.  
Vtrum fides possit esse de rebus scitis.

**N**ONO queritur, vtrum fides possit esse de rebus scitis. Et vbi quod sic. Vnde quodque non potest esse scitum, quod necessaria ratione potest probari: sed secundum Ricardum de S. Victore ad omnia, quæ credere oportet, non deest ratio non solum probabilis: sed necessaria. ergo de rebus creditis scientia haberi potest.

**¶ 2 Præ.** Lumen gratiæ diuinitus infusum, est efficacius quam lumen naturæ, sed ea quæ nobis manifestantur per lumen naturalis rationis, sunt a nobis scita vel intellecta, & non solum credita. ergo & ea quæ innotescunt nobis per lumen fidei diuinitus infusum, sunt a nobis scita non solum credita.

**¶ 3 Præ.** Certius, & efficacius est Dei testimonium, quod hominis quantum ad quod scitis: sed de eis, quæ procedunt ex suppositione dicti alicuius scientijs contingit habere scientiam, ut patet in scientijs subalternatis, quæ principia sua presupponunt a scientijs subalternatis. ergo multo fortius de his quæ sunt fidei habere scita cum supponantur ex testimonio diuino.

Quæst. disp. S. Tho. DDD ¶ Præ.

D. 603.

2. 2. q. 1. arc. Hui. lib. 1. de scitis. c. 4.